Quamnam curam Athenienses post expeditionem illam a. 415 in Siciliam factam rerum Siciliensium habuerint, quaeratur.

Recte Thucydides[1]) expeditionem illam ab Atheniensibus in Siciliam factam non modo rerum bello Peloponnesiaco gestarum ait fuisse gravissimam, sed etiam omnium Graecarum, quae usque ad aetatem suam evenissent. Quod vero ille contendit factorum Graecorum nullum fuisse tanti momenti quanti illud, hoc iudicium etiam ea re confirmari potest, quod Athenienses universam Graeciam, quae in duas partes erat divisa, quarum altera ad orientem spectans mari Aegaeo et Ionio circumfundebatur, altera in occidentem vergens Graeciam Magnam ceterasque colonias Graecas in Sicilia et litore maris Tusci sitas complectebatur, illo conatu in unam coniungere atque connectere studebant. Post expeditionem illam Atheniensibus tam perniciosam nulla iam gens idem conata est. Illi primi et postremi hoc consilium inierunt, ut, cum expeditio male iis evenisset, duae illae Graeciae partes separatae essent ad sempiternum. Quod ad alteram auctoris sententiam attinet expeditione illa nullam belli Peloponnesiaci rem habendam esse graviorem, nemo est, quin ei assentiatur. Nam Athenienses acceperant cladem, qua haud scio an maior cogitari non possit. Classis egregia, quae fuit ducentarum navium, funditus exstincta, exercitus, qui fuit sexaginta milium militum, ad internecionem fere redactus est, pauci mortem et servitutem effugerunt. Quamobrem illa plaga maximam vim ad totius belli eventun contulit, etiamsi Athenienses animo adeo non defecerunt, ut denuo nervos intenderent. Sed praeclaris illis copiis amissis fieri non potuit, ut postero tempore se recrearent. Huc accessit, ut omnes eae civitates, quae infesto in Athenienses erant animo, ratae tum sibi opportunam occasionem

1) VII, 87.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

esse oblatam communis hostis opprimendi partes Lacedaemoniorum sequerentur. Inprimis Syracusani et Selinuntii, ut Lacedaemoniis gratiam auxilii lati referrent atque Atheniensium incursionem ulciscerentur, horum exstiterunt hostes. Tum vero Syracusani eorumque socii, postquam Athenienses frustra conati sunt illos sub potestatem redigere, vires ad Athenienses profligandos contulerunt. Nam post expeditionem illam bellum in litore Asiae atque insulis litori adversis renovatum est. Lacedaemonii enim consiliis Alcibiadis impulsi nihil habebant antiquius, quam ut civitates cum Atheniensibus foederatas ab iis abalienarent. Ut, quae vellent, exsequerentur, se coniunxerunt cum Tissapherne et Pharnabazo, Asiae satrapis, quorum permagni intererat urbes Ionum Asiae in potestatem Persarum venire. Et profecto consilia Peloponnesiorum tam bene evenerunt, ut Chii, Erythraei, Clazomenii, Milesii, Lesbii ab Atheniensibus deficerent. Lacedaemonii autem non modo a Persis, sed etiam a Syracusanis et Selinuntiis adiuti sund. Qui Hermocrate praecipue auctore, quo duce Syracusani Atheniensibus obsidentibus restiterant, navibus atque opibus Peloponnesiis subvenerunt. Nam Athenienses, cum Samo profecti Miletum obsiderent, obsessione desistere coacti sunt classe Peloponnesiorum appropinquante. Quae classis fuit quinquaginta navium, quarum viginti duas a Siculis ornatas esse, viginti a Syracusanis, duas a Selinuntiis Thucydides memoriae prodit [1]) De navium, quae auxilio venerunt Lacedaemoniis, numero Diodorus XIII, 34 a Thucydide discrepat. Ille triginta quinque triremes Siculorum cum communi Peloponnesiorum classe coniunctas fuisse tradit. Etiamsi Diodorus reiiciendus est, cognoscitur tamen, quantopere Lacedaemoniorum vires maritimae in navibus Syracusanorum innixae sint. Primum facinus, quod classis coniuncta perfecit, fuit expugnatio Iasi, urbis Cariae. Qua in re Syracusanorum virtus exstitit conspicua.[2]) (aestate anni 412 a. Ch.) Non est dubium, quin Syracusani multo maiora detrimenta Atheniensibus allaturi fuerint, nisi Tissaphernes Alcibiade auctore ceteros Peloponnesiorum duces corrupisset. Pugnae navali, quae inter Peloponnesios, quibus Mindarus praefectus erat, atque Athenienses, quibus praeerant Thrasybulus et Thrasyllus, commissa est ad Cynossema, Syracusani maxima cum fortitudine interfuerunt. Sed Athenienses tulerunt palmam atque ceperunt unam et viginti hostium naves, quarum una Syracusanorum fuerat.[3]) (aestate anni 411 a. Ch.). Non minus fortes se praestiterunt Syracusani in proelio apud Cyzicum facto, quo Mindarus ipse occisus est et omnes Peloponnesiorum naves captae sunt praeter Syracusanas, quas illi, ne in manus hostium venirent, concremaverunt. Quae pugna commissa est ineunte anno 410.[4]) Postero anno 409 Syracusani Athenienses magno damno affecerunt, cum Thrasyllum Ephesum urbem aggredientem fugarent. Novae classi Siculorum, quae fuit viginti septem navium, haec victoria ab Atheniensibus reportata praecipue tribuenda erat. Itaque Ephesii Syracusanos et Selinuntios — horum enim erant duae naves — honoribus et praemiis ornaverunt.[5]) Damnum acceptum Athenienses brevi sarserunt. Hi Hellespontum redeuntes cum classem Syracusanorum oppressissent, quattuor naves ceperunt, ceteras Ephesum repulerunt. Athenas a Thrasyllo captivi missi sunt, quos Athenienses, ut poenas solverent eorum, quae ipsi a Syracusanis passi essent, lautumiis Piraei concluserunt, unde saxo perfosso effugerunt.[6]) A Siculis anno 409

1) VIII, 26. 2) Thucyd. VIII, 28. 3) Thucyd. VIII, 104 — 106. 4) Xenoph. Hell. I, 1, 11 — 18. 5) Xenoph. Hell. I, 2, 6 — 10. 6) Xenoph: Hell. I, 2, 11 — 15.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lacedaemonios Pylum oppugnantes quinque navibus adiutos esse apud Diodorum XIII, 64 scriptum videmus. Postea Siculi bello in Athenienses destiterunt. Syracusani enim, cum iis magnum a Carthaginiensibus periculum instaret, milites et classem patriae defendendae causa domum redire iusserunt. Ita Peloponnesii viribus egregiis privati sunt, id quod Atheniensibus bene evenit. Qui, quamquam aliquamdiu imperio navali hostibus erant pares, clade ad Aegos Flumen a. 405 accepta afflicti atque prostrati sunt.

Lacedaemonii post cladem hostium terra marique principatum obtinebant, sed pristinis virtutibus non praediti imperio brevi abusi sunt, cum socios non minus quam Athenienses vexarent. Inprimis socii veteres, sive quod invidebant potentiae Lacedaemoniorum in dies crescenti, sive quia iis displicebat, quod illi superbia inflati omnia sub imperium potestatemque subiungere studebant, brevi a causa Lacedaemoniorum abstracti sunt. Constat inter Lacedaemonios atque socios tantas controversias exarsisse, ut Persis, qui Agesilaum, regem Lacedaemoniorum, fines illorum aggredientem removere studerent, facile contingeret, ut Thebanos Corinthios, Argivos opibus promissis ad bellum in Lacedaemonios ut communes hostes incitarent. Ortum est bellum, quod vocatur Corinthiacum a. 394 a. Ch. Tum vero Atheniensibus occasio opportuna oblata est una cum illis, qui od principatum Lacedaemoniorum evertendum conspiraverant, pristinae potentiae atque auctoritatis recuperandae. Lysander apud Haliartum a Thebanis victus atque occisus est. Agesilaus cum exercitu ex Asia revocatus a foederatis quidem civitatibus egregiam apud Coroneam victoriam reportavit, sed classis Peloponnesiorum a Conone Atheniensi apud Cnidum superata est, ut permultae civitates a Lacedaemoniis desciscerent ad Athenienses. Qui enixe operam dederunt, ut, qui Lacedaemoniorum causae faverent, eos ad partes suas traherent. Lacedaemonii praecipue auxilio Dionysii maioris, Syracusarum tyranni, qui a. 405 a. Ch. rerum potitus est, ad principatum sustentandum confisi sunt. Hic vero illis gratiam debebat. Nam Lacedaemonii, quamquam autea adversus externas civitates eam rationem sequebantur, ut unius dominationem omni modo exstinguere studerent, postea a priore consuetudine degeneraverant ita, ut etiam tyrannidem confirmarent, dummodo inde fructus caperent. Itaque Aristum, nobilem virum, Syracusas miserant, ut opera et consilio tyrannum adiuvaret, cum sibi persuasissent, si Dionysii imperium corroborassent, eum socium atque amicum sibi fore.[1]) Quin etiam inter Dionysium et Lysandrum intercessit amicitia. Quod Plutarchus, Lys. cap. II tradit tyrannum Lysandro egregia obtulisse vestimenta, quae filiabus eius darentur, illud dubitandum non esse videtur. Inde efficitur, quanti interfuerit tyranni gratiam Lysandri sibi conciliare. Quod autem ad alteram fabulam attinet, quam auctor ille de utriusque usu perhibet, qua Lysander etiam Syracusis in tyranni domo versatus esse fertur, haec ficta neque aliud nisi prioris est amplificatio. Dionysio bellum contra Poenos paranti Lacedaemonii fecerunt copiam conscribendi, quotquot vellet Peloponnesiorum.[2]) Tyranno Lacedaemonii triginta naves Pharacida duce miserunt.[3]) (a. 396 a Ch.) Sed iis amicitia Dionysii initio belli Corinthiaci minus exspectatione profuit, quia ille suis rebus occupatus erat. Neque tamen dubium erat, quin tyrannus, nisi bello Rheginorum et Carthaginiensium implicitus esset, Lacedaemoniis subventurus fuerit. Qua re praecipue Atheniensibus, qui principatum

1) Diodor. XIV, 10. 2) Diodor. XIV, 44. 3) Diodor. XIV, 63.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

maritimum recuperare non poterant nisi Lacedaemoniis victis, timendum erat, ne ille, eximiis opibus instructus, cum negotiis vacaret, hostes adiuvaret. Itaque Atheniensium permagni intererat potentissimum Lacedaemoniorum socium ab iis abalienare atque sibi reddere amicum.

Fontes potissimi, qui ad illustrandas Atheniensium curas rerum Siciliensium exstant, sunt Diodorus et Xenophon, quorum scriptorum ille vitam et facta Dionysii maioris continua quidem oratione explicat, sed ita tamen, ut, quo modo tyrannus rebus Graecis se interposuerit, brevius attingatur, hic nisi auxilium Lacedaemoniis a tyranno latum nihil aliud memoriae tradit. Maximum igitur subsidium afferunt ad traditionem supplendam tria psephismata Athenis eruta. Huc pertinent nonnulli loci, qui apud oratores aequales inveniuntur. Quo modo Athenienses illud consilium Dionysii maioris a Lacedaemoniis abalienandi exsequi studuerint, testis est senatus consultum, quod in tabula marmoris Pentelici insculptum a. 1862 in theatro Bacchi Athenis repertum est. Tabula a dextra et a parte inferiore fracta et in superficie admodum detrita est. Superior pars occupatur anaglypho, quo a sinistra repraesentatur Minerva, quae adstat instructa scuto et angue dextramque porrigit alteri feminae face ornatae. Hanc Cererem exsistimes, qua Siciliam repraesentari veri simile est. Titulum edidit Cumanudis in Philist. IV, p. 542, cui, cum, ut pauca legeret, contigisset, pleniorem exhibuit Koehlerus Hermes III, p. 157 hac ratione:

1. *Ἐπ' Εὐβουλίδου ἄρχοντος, ἐπὶ τῆς [Πανδιο-]*
νίδος ἕκτης πρυτανευούσης
ᾗ Πλάτων Νικοχάρους Φλυεὺ[ς ἐγρα-]
μμάτευε.
5. *Ἔδοξεν τῇ βουλῇ, Κινησίας εἶπε· π[ερὶ ὧν Ἀν-]*
δροσθένης λέγει, ἐπαινέσαι Δι[ο]ν[ύσιον τὸ-]
ν Σικ]ελίας ἄρχ[ο]ντι[α] καὶ Λεπτίνην [τὸν ἀδελ-]
[φὸ]ν τὸν Διον[υ]σ[ίου κα]ὶ Θεαρίδην τ[ὸν ἀδελφὸ-]
ν τὸν Διονυσ[ίου καὶ Φιλ]όξενον τ[ὸν . . . . . .].

Quaeritur, quonam anno hoc decretum factum sit. Eubulides archon eponymus fuit Olymp. 96,3. Ex addidamento: „*Ἐπὶ τῆς [Πανδιο-]νίδος ἕκτης πρυτανευούσης*“ — satis apparet decretum in ineunti anno 393 ponendum esse. Nam sexta prytanis praesidebat senatui a duodetricesimo die mensis Posidonis usque ad tertium diem mensis Anthesterionis. Patet senatum decrevisse, ut Dionysius eiusque fratres Leptines et Thearides[1]) et Philoxenus — ita servatum *⌒ΞΕΝΟΝ* Koehlerus restitui vult — quem Cytherae natum poemata dithyrambica fecisse et consuetudine tyranni post annum 396 usum esse[2]) constat, publice laudarentur. Holmius „Geschichte Siciliens“ II, p. 12 supplementum profert, quod haud scio an coniecturae Koehleri anteponam, — *Πολύξενον* — cui germanam suam collocaverat tyrannus. Quod fratres tyranni et affinis singuli nominatim appellantur atque decretum etiam in honorem hominum cognatione et affinitate coniunctorum factum est, mirum non esse debet, quia tyranni, ut dominationem, quam usurpaverant, sustentarent, in propinquorum auxilio niti solebant, quod etiam de Dionysio

1) Leptinen et Theariden commemorat Diodor. XIV, 102, 103, 109, XV, 7 et aliis locis.

2) *Τῶν δὲ συνόντων αὐτῷ ποιητῶν Φιλόξενος ὁ διθυραμβοποιός . . . . . .* Diodor. XV, 6.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

dicendum est. Inde, quod Cinesias, qui tulit rogationem, ipse musicae fuit peritus, quod senatus consultum, ut veri simile est, eo tempore est factum, quo Lenaea celebrabantur, id est mense Gamelione, quod tabula illius decreti in theatro Bacchi collocata erat, inde Koehlerus optimo iure concludit tyranno ob carmina facta laudem esse tributam, quam eum eo maiore gaudio affecturam esse veri simile erat, quo magis ille carminibus suis gloriabatur.[1]) Constat senatus ius fuisse, ut de praemio poetarum decerneret. Illam laudem, quae, quam iucunda tyranno esset, Athenienses haud ignorabant, multum ad gratiam eius comparandam illi sperabant collaturam esse. Quin etiam auctoribus Conone, qui ineunte aestate anni 393 Athenas rediit[2], atque Euagora, qui Salaminem, urbem Cypri, tum obtinebat atque benevolo in Athenienses animo erat, legatio Syracusas missa est. (Olymp. 96, 4 393/392 a. Ch.) Legati erant Lysias, Aristophanes, Eunomus, quibus mandatum erat, ut Dionysium commoverent, ut Euagorae sororem in matrimonium duceret Atheniensiumque partes sequeretur. Quam legationem, etiamsi regem a Lacedaemoniis abalienare non potuisset, tamen persuasisse ei, ne mitteret naves, quas Lacedaemoniis apparasset, Lysias tradit.[3])

Exstant fragmenta Lysiae orationis Olympiacae, cuius argumentum legimus apud Dionysium Halicarnassensem in iudicio de Lysia 29: „*Ἔστι δή τις αὐτῷ πανηγυρικὸς λόγος, ἐν ᾧ πείθει τοὺς Ἕλληνας ἀγομένης Ὀλυμπίασι τῆς πανηγύρεως ἐκβάλλειν Διονύσιον τὸν τύραννον τῆς ἀρχῆς καὶ Σικελίαν ἐλευθερῶσαι ἄρξασθαί τε τῆς ἔχθρας αὐτίκα μάλα διαρπάσαντας τὴν τοῦ τυράννου σκηνὴν χρυσῷ τε καὶ πορφύρᾳ καὶ ἄλλῳ πλούτῳ πολλῷ κεκοσμημένην.*“ — Huc etiam pertinet haec Diodori narratio XIV, 109 sub Olymp. 98, 1: „Cum Olympiorum celebritas instaret, tyrannus complures quadrigas ad certamen et tabernacula magnifica ad panegyricam illam sollemnitatem misit. His addidit rhapsodos, qui recitandis poëmatis magnam gloriam sibi pararent. Thearides, frater tyranni, cum ad panegyrim pervenisset, tabernaculorum elegantia et multitudine quadrigarum oculos in se convertit. Cum etiam rhapsodi Dionysii poemata recitare coepissent, initio quidem ob canoram illorum vocem concursus factus est omnesque admiratione affecti sunt. Simulac vero ei, qui audiebant, intellexerunt, quam prava illa essent, Dionysium deriserunt eiusque tabernacula destruere ausi sunt. Nam Lysias orator, tum Olympiae versatus, multitudinem, ne legatos ab improbo tyranno missos ad sollemnia ludorum admitteret, adhortatus est. Quo tempore orationem, quae inscripta erat Olympiaca, in publico habuit conventu.“ Quaestio fit, quonam anno illa oratio sit habita. Grotius „Griechische Geschichte“ V, p. 367 — 368 dubitat, num illa in Olymp. 98, 1., ut Diodorus tradit, poni possit, primum quod veri simile sit Lysiam bello prohibitum fuisse, quominus ad ludos Olympios proficisceretur, tum quod, etiamsi hoc potuerit fieri, incredibile sit eum a. 388 in publico Graecorum conventu tam eximia laude Lacedaemonios ornasse. Grotio, qui has ob causas orationem Olymp. 99 (a. 384 a. Ch.) habitam esse opinatur, Schaeferus Philolog. XVIII. p. 187 sqq „Themistocles und Hieron von Syracus. Lysias' Olympische Rede“ non assentitur, cum Olympiadem

---

1) Diodor. XV, 6. *Ἐκαυχᾶτο πολὺ μᾶλλον ἐπὶ τοῖς ποιήμασιν ἢ τοῖς ἐν πολέμῳ κατορθώμασι.* 2) cf. Curt. G. G. III, p. 183. 3) De bonis Aristophanis § 20: *Ἔπεισαν* (scil. *πρέσβεις*) *Διονύσιον μὴ πέμψαι τριήρεις, ἃς τότε παρεσκευάζετο Λακεδαιμονίοις.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

98, 1 cum Diodoro tenendam esse argumentetur. Sed Lysiam auctorem orationis esse negat, nam dubitat, num ille, cum a Cononis partibus staret, laudem Lacedaemoniis tribuerit, praesertim cum haud ignoraret Athenienses aegre laturos esse, quod Lacedaemonii pluris quam ipsi aestimarentur.[1]) Itaque Schaeferus Themistogenem, qui a tyranno patria expulsus cum Xenophonte amicitia coniunctus fuerit, auctorem orationis esse habendum contendit. Quodsi Schaeferus ad sententiam confirmandam Themistogeni maximam fuisse causam exponit, cur tyranno irasceretur Graecosque in patriae vexatorem incitaret, nonne Lysiam, qui Thurinus fuisset, quae mala Dionysius Graeciae Magnae et Thuriis intulit, commoverunt? Constat Lucanos Dionysio auctore agros Thurinorum depopulatos esse (Olymp. 97, 3). Odium, quo Lysias in tyrannum est inflammatus, certe auctum est eius cura atque studio Atheniensium. Nam, quamquam inquilinus erat neque ei licebat ad rem publicam accedere, tamen salutem civitatis permagni aestimabat. Eo igitur tempore, cum Graeci bello interno defatigati erant, (*ὁρῶν οὕτως αἰσχρῶς διακειμένην τὴν Ἑλλάδα* § 3) cum multae iam urbes Ionum Asiae in potestate Artaxerxis, multae Graeciae Magnae a Dionysio subactae aut deletae erant, (*καὶ πολλὰ μὲν αὐτῆς* (scil. *τῆς Ἑλλάδος*) *ὄντα ὑπὸ τῷ βαρβάρῳ,*[2]) *πολλὰς δὲ πόλεις ὑπὸ τυράννων ἀναστάτους γεγενημένας*[3]) § 3) eo tempore, cum saluti totius Graeciae a rege et tyranno pericula magna instabant, Lysiae visum est honestum atque utile esse Atheniensibus belli interni finem fieri, (*τὸν μὲν πρὸς ἀλλήλους πόλεμον καταθέσθαι* § 6) atque civitates Graecas inter se ad bellum in communes hostes, regem et tyrannum, coniungere. Non est, inquit Lysias § 8, nobis exspectandum, dum uterque nos ipsos aggrediatur, sed, quoad fieri poterit, illorum superbia nobis est coercenda. Ita Lysias civitates Graecas ad Dionysium tyrannum expellendum Siciliamque liberandam adhortatus est. Quod orator § 7 ait se maxime mirari, quod Lacedaemonii, quamquam principatum teneant ceterisque Graecis virtute praestent, Graeciam tamen incendio consumi patiantur, eosque admonet, ut, quemadmodum antea Graeciae servatores exstiterint, ita nunc saluti eius prospiciant, (*περὶ τῶν μελλόντων προορᾶσθαι*) inde concludi non potest Lysiam orationis non esse auctorem, sed hoc moneo Lysiae decori habendum esse, quod tanto studio totius Graeciae salutem complexus est, ut Lacedaemoniis primum locum concederet, dummodo ad communem omnium causam reconciliarentur. Quod ille hac oratione nihil perfecit, non est mirum. Nam consilia, quibus singulae civitates Graeciae tum adducebantur, inter sese erant disiuncta, cum suis quaeque commodis provideret, ut illo tempore fieri non posset, ut Graeci ad unum consilium exsequendum commoverentur. Neque Dionysius neque Artaxerxes verbis, quae orator apud panegyrim fecit, superari poterant. Praeterea et ipsi Athenienses a. 388 a. Ch. regis socii fuerunt, ut non minus quam Lacedaemonii, socii tyranni, essent vituperandi, quod causam cum Graeciae hostibus communicarent. Neque tamen infitiandum est Lysiam vel, ut melius dicam, Athenienses optime de communi causa meritos esse eo, quod ceteros Graecos periculorum commonefecerunt, quae Graecis ab utroque hoste imminerent.

---

1) Lysiae oratio XVIII, § 15: *Καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ὀργίζοισθε, εἴ τις Λακεδαιμονίους ὑμῶν περὶ πλείονος ποιεῖται.* 2) Xenoph. Hell. V, 1, 28. *Ἦλθον δὲ καὶ αἱ* (scil. *νῆες*) *ἀπὸ Ἰωνίας, ὅσης ἐγκρατὴς ἦν Τιρίβαζος.* 3) Diodor. XIV, 106, 107. Caulonia et Hipponium oppida excisa sunt et Rhegium obsideri coeptum est a tyranno (Olymp. 97, 4; 98, 1).

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Lacedaemonii bello defatigati, cum intellexissent se principatum obtinere non posse, nisi regem Persarum a societate hostium abstraxissent, per Antalcidam pacem iis conditionibus inierunt, ut Graecae civitates in Asia sitae venirent in regis ditionem, reliquae vero Graeciae civitates suis quaeque legibus administrarentur praeter insulas Lemnum, Imbrum, Scyrum, quae fierent Atheniensium. Promisit etiam rex sese una cum Lacedaemoniis, si qui leges pacis approbare recusassent, eos bello persecuturum esse (a. 387 a. Ch.) Cum Antalcidas a rege reversus esset ad litora Asiae, advenerunt viginti triremes Syracusanae duce Polyxeno. Dionysius, quam primum poterat, gratiam Lacedaemoniis retulit.[1]) Nam veri simile est Rheginos Olymp. 98, 2 iam profligatos fuisse.[2]) Vires Lacedaemoniorum auxilio et regis et tyranni tantopere auctae sunt, ut Athenienses timerent, ne, nisi bello desisterent, succumberent illis, ut optimum sibi esse putarent pacem accipere. Ita Dionysius auxilio Lacedaemoniis lato ad pacem illam accipiendam, id est ad Lacedaemonios tutandos, plurimum contulit.

Ut Lysias oratione apud panegyricum conventum facta Graecos impellere studebat, ut discidiis compositis inter se iungerent ad bellum tyranni et regis, ut commune periculum averterent, ita Isocrates oratione, quae inscripta est „*Πανηγυρικός*,“ quae, quin Olymp. 100, 1 recitata sit Olympiae, non est dubium, simile consilium ac Lysias Graecis proponit, cum eos ad bellum regi Persarum inferendum adhortetur simulque Graecos admoneat non minorem hostem Dionysium esse putandum § 169: „*Ἴσως δ' ἂν καὶ τῆς ἐμῆς εὐηθείας πολλοὶ καταγελάσειαν, εἰ δυσιυχίας ἀνδρῶν ὀδυροίμην ἐν τοῖς τοιούτοις καιροῖς, ἐν οἷς Ἰταλία μὲν ἀνάστατος γέγονε, Σικελία δὲ καταδεδούλωται, τοσαῦται δὲ πόλεις τοῖς βαρβάροις ἐκδέδονται, τὰ δὲ λοιπὰ μέρη τῶν Ἑλλήνων ἐν τοῖς κινδύνοις μεγίστοις ἐστίν.*“ Recte a Lysia et Isocrate Dionysium et Artaxerxem communes Graeciae hostes iudicatos esse, brevi etiam reliqui Graeci intellexerunt, ut tyrannum arguerent, quod cum rege societatem Graeciae expugnandae causa fecisset. Dionysius et Artaxerxes, qui apud Diodorum XV, 23 — *οἱ μέγιστοι τῶν τότε δυναστῶν* — nominantur, etiam ab Aristide in oratione, quae inscripta est „*Παναθηναικός*,“ ita vocantur (Ibb. I, p. 177) Scholiasta hanc significationem Aristidis interpretans haec fere de Dionysio dicit: „Hic venit (Olymp. 98,2) simulans quidem se Lacedaemoniis auxilium in Athenienses laturum esse, re vera nihil aliud spectans, nisi ut cum Persarum rege Graeciam partiretur, cum illum de consilio edocuisset, ut Ephorus narrat.“ Post pacem illam Antalcidae maxime vigebat potentia Lacedaemoniorum, penes quos imperium Graeciae erat. Athenienses bello inter Lacedaemonios et Thebanos exorto (Olymp. 104, 4), cum Lacedaemonii impetum in Piraeum fecissent, ad Thebanos sese applicuerunt atque imperium maritimum denuo constituere conati sunt eo maiore successu, quia plurimae civitates Lacedaemoniorum superbia exacerbatae ab his ad Athenienses deficere erant paratae. Duces classis Atheniensium duobus proeliis navalibus Lacedaemonios fugaverunt, Chabrias apud Naxon a. 376 a. Ch., Timotheus apud Leucada promontorium a. 375 a. Ch., ut etiam Corcyra insula foederi Atheniensium adiungeretur. Qui causa Thebanorum deserta pacem cum Lacedaemoniis inierunt, quam hi, quia Timotheus rebus Zacynthiis se interposuisset, brevi aboleverunt. Corcyra insula, ut quondam situ Atheniensibus maxime opportuna visa fuit ad traiectum in Siciliam, ita tum eis maximam utilitatem ad imperium maris Ionii obtinendum

1) Xenoph. Hell. V, 1, 26—28. 2) Diodor. XIV, 111.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

facultatemque praebuit prohibendi, ne vires Dionysii cum hostibus coniungerentur. Qui haud ignari, quanto commodo illa insula iis esset, qui imperium maritimum sibi vindicarent, Mnasippum cum sexaginta triremibus in Corcyraeos miserunt atque a Dionysio auxilium petiverunt legatione eum docentes, quanto emolumento illi esset, si Corcyra non esset sub imperio Atheniensium. Qui exercitu et classe Corcyraeis auxiliati sunt. Stesicles, dux exercitus, ubi se cum oppidanis a Lacedaemoniis obsessis nocte coniunxit, eruptione praeter exspectationem hostium facta Mnasippo interfecto obsessores iam repulerat, cum Iphicrates naves ad Corcyram appulit. Qui, cum decem triremes a Dionysio Lacedaemoniis missas appropinquare comperisset, statim in eas profectus novem una cum viris cepit, una tantum, cui praeerat Menalippus Rhodius, salutem petiit fuga. Iphicrates, cum unicuique captivorum, ut se pecunia redimeret, permisisset, talentis plus quam sexaginta collectis militibus stipendium persolvit.[1]) (Olymp. 101, 3). Diodorus XIV, 57 narrat Iphicratem cum Syracusanis congressum cepisse etiam signa auro et ebore facta, quae tyrannus Olympiam atque Delphos navibus iussisset portari. Cum Athenienses, ut milites alerent, dona votiva pro praeda habuissent, tyrannum ira incensum litteras ad Athenienses misisse, quibus eos impietatis accusaret: „Dionysius senatui et populo Atheniensium! Salvere et res bene gerere vos, ut scribam, minime convenit, quandoquidem sacra terra marique rapitis. Quin etiam simulacra, quae consecratum diis misimus, intercepta in usum pecuniae concidistis. Qua impietate maximos deorum, Apollinem et Jovem Olympium, violavistis.“ Simulacra licet in manus Atheniensium inciderint, qui ea non secus ac quamvis praedam aliam in pecuniam redigerent, illud incredibile est tyrannum, qui tot templa diripuisset, Atheniensibus sacrilegium tribuisse crimini. Potius epistula illa, quam Diodorus tradit, ficta esse videtur. Ita certamine Atheniensium cum Lacedaemoniis factum est, ut illi etiam arma in horum potentissimum socium, Dionysium tyrannum, caperent.

Athenienses Thebanos ad pacem cum Lacedaemoniis faciendam Spartam invitaverunt, quippe cum ipsi imperium maritimum denuo constitutum pace Antalcidae renovanda firmari vellent. Sed Thebani, quod totam Boeotiam sub imperium suum subiungi volebant, ad foedus admissi non sunt. Etiam Artaxerxem ad bellum internum sedandum et ad pacem secundum leges nuper constitutas stabiliendam Graecos adhortatum esse Diodorus XV, 50 memoriae tradit. (Olymp. 102, 1). Cleombrotus, cum in Boeotiam invasisset, ut Thebas deleret, proelio apud Leuctra commisso ab adversariis victus et occisus est. (Olymp. 102, 2). Thebani ab Arcadibus arcessiti, postquam Epaminonda et Pelopida ducibus in Laconicam irruperunt, hostes in magnum discrimen adduxerunt. Hi opibus debilitatis et sociis abalienatis auxilium ab Atheniensibus, qui Olymp. 102, 1 pacem cum iis fecerant, imploraverunt. Tum Athenienses perterriti metu Thebanorum potentiae victoria illa auctae Lacedaemoniorum precibus obsecuti sunt atque cum iis societatem ea conditione inierunt, ut utrique per quinos dies summam rerum tenerent (Olymp. 102, 3 370/369 a. Ch). Dum Chabrias, dux Atheniensium, una cum Lacedaemoniis Corinthum ab Epaminonda defendit, in portum eius urbis advenerunt triremes plus quam viginti a Dionysio missae. Auxilia erant duo milia Gallorum et Hispanorum, equites fere quinquaginta. Qui, cum sese fortiter gessissent multosque Boeotorum prostravissent, postquam Thebanis domum profectis

1) Xenoph. Hell. VI, 2, 1 — 36. Diodor. XV, 45 — 47.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Sicyonios aggressi devicerunt, in Siciliam redierunt. (Olymp. 102, 4.) Stipendium quidem a tyranno in quinque menses acceperant, sed eos non tamdiu domo afuisse veri simile est.[1]) Non multo post rex Persarum pacem inter Graecos restituere iterum conatus est. Philiscus, legatus Ariobarzanis satrapae, cum magnis pecuniis advenit in Graeciam. Convocatis Delphos Graecis Messenen Lacedaemonii liberam dimittere nolebant, quamquam id Thebani flagitabant. Qui iterum pace exclusi sunt. Itaque Philiscus ad bellum illis inferendum paravit exercitum[2]) (Sub finem Olympiadis 102, 4, a. 368 a. Ch).

Supersunt fragmenta senatus consulti. Tabula marmoris Pentelici, in qua illud incisum erat, quae perisse videbatur, nuper inter rudera hospitii Capucinorum Francogallorum iterum reperta est. Haec a sinistra secta et a parte inferiore fracta, praeterea valde detrita est. Ex schedis Fauvelii Koehlerianis habuit Boekhius, qui edidit vs 1 — 4 C. I. G. in addendis p. 899 n. 85[c] et vs 5 — 34 l. l. p. 897 n. 85[b], duorum titulorum fragmenta esse ratus, quae ad eundem lapidem spectare lapide invento intellectum est. Sunt duae coronae in lapide inter praescriptum et decretum ipsum incisae, qua re Boekhius, ut videtur, ad sententiam adductus de duabus agi inscriptionibus vs 1 — 4 ut fragmentum cum vs 5 l. l. non continuum discrevit. Koehlerus exhibuit titulum pleniorem C. I. A. II. n. 51:

1. [Ἐπὶ Λ]υ[σι]στράτου ἄρχοντος ἐπὶ [τῆς . . . . .]-
[. . ίδ]ος δεκάτης πρυτανε[ί]ας, [ᾗ] Ἐ[ξ]η[κ.]-
[. . . πα]ι[. . . .ω] Ἀζηνιε[ὺ]ς ἐγραμμάτε[νε]-
[ν· τῶν προέδρων] ἐ[πε]ψή[φι]ζ[ε Εὐάγ]γ[ελος.]-
5. [- - -].
[. . . ι]διος εἶπεν· περὶ ὧν οἱ πρέσβεις ο[ἱ]
[παρὰ] Διονυ[σ]ίου ἥκον[τε]ς λέγουσι[ν] δεδ[όχ]-
[θαι τῆ]ι βουλῆ· περὶ μὲν τῶν γρα[μ]μά[των]
[ὧν ἔπε]μψεν Διονύσιος [τῆς] ο[ἰκ]οδομ[ίας]
10. [τοῦ νε]ὼ καὶ τῆς εἰρ[ή]νης τοὺς συ[μ]μά[χους]
[δόγμ]α ἐξενε[γ]κε[ῖν εἰς] τὸν δῆμον [ὅτι ἂν]
[αὐτο]ῖς βουλευ[ο]μ[έ]νοι[ς δοκ]ῇ ἄρι[στον]
[εἶνα]ι· προσαγαγεῖν δὲ τ[οὺς] πρέσβε[ις εἰ]-
ς τὸν]δῆμον εἰ[ς]τὴν πρώτ[ην] ἐκκλ[ησίαν π]-
15. [ροσκ]αλ[έσ]αντ[α]ς τοὺς [συμμά]χ[ο]υς [τοὺς π]-
[ροέδ]ρους [κ]αὶ χρ[η]ματι[ίζ[ει]ν [π]ερὶ ὧν [λέγου]-
[σιν][γ]νώμ[ην] [δὲ σ]υμβάλλε[σθα]ι [τῆς βουλῆ]-
ς ἐς τ]ὸν δῆμον ὅτι δο[κ]εῖ τῆ[ι] βου[λῆ ἐπα]-
[ινέσ]αι μὲν Διονύσιον τὸ[ν] Σικε[λίας ἄρ]-
20. [χον]τα κ[α]ὶ τοὺς υἱεῖς τοὺς [Δι]ονυ[σίου Δι]-
[ονύ]σιο[ν] καὶ Ἑρμόκριτον ὅτι ε[ἰσὶν] ἄνδ]-
[ρες] ἀγαθοὶ [π]ερὶ τὸν δῆμον τὸν [Ἀθηναίω]-
[ν καὶ] τοὺς συμμάχους καὶ βοη[θοῦσιν τῆ]
[ι βασ]ιλέως εἰ[ρή]νῃ, ἣν ἐ[π]οιήσα[ντο Ἀθην]-

1) Xenoph. Hell. VII, 1, 20 — 22. Diodor. XV, 70. 2) Xenoph. Hell. VII. 1, 27. Diodor. XV, 70.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

25. [αἶοι] καὶ Λακεδαιμόνιο[ι] κ[α]ὶ [οἱ ἄλλοι Ἕ]-
[λληνες] καὶ [Δ]ιο[ν]υσίῳ μὲν [ἀποστεῖλαι τ]-
[ὸν στέφανον,] ὃν ἐψηφίσ[α]το ὁ[δῆμος στεφ]-
[ανῶσαι δὲ τοὺς υ]ἱεῖς τοὺς Διον[υσίου χρυσ]-
[ῷ στεφάνῳ ἑ]κ[άτ]ερον [ἀ]πὸ [χιλίων δραχ]-
30. [μῶν ἀνδραγαθί]ας [ἕ]νε[κα καὶ φιλίας· εἶν]-
[αι δὲ Διονύσιον καὶ] το[ὺ]ς υ[ἱεῖς αὐτοῦ Ἀθη]-
[ναίους αὐτοὺς] κα[ὶ] ἐκγόνου[ς καὶ φυλῆς κ]-
[αὶ δήμου καὶ φ]ρα[τ]ρίας, [ἧς ἂν βούληται, τ]-
[οὺσ δὲ πρυτάνε]ις [τοὺ]ς [τῆς Ἐρεχθηΐδος δο]-
35. [ῦναι τὴν ψῆφον πε]ρὶ [αὐτοῦ ------

Reliqua ad vs 40 redintegrari non possunt. A vs 39 clausulae solemnes incipiebant. Monumentum incidit in tempus, quo veterior praescripti forma, ut ante Euclidem archontem in usu erat, recentiori, quae aetate Demosthenis solebat adhiberi, cedere coepit. Forma igitur praescripti, qua ab antiquiore ad recentiorem fit transitus, ex elementis utriusque formae mixta est. Monumenta Olym. 103 et 104, quorum praescripta servata sunt, cum eandem formam transitus propriam praebeant, quae suppleri opus sunt, offerunt. Quonam anno hoc decretum factum sit, apparet e verbis: „[Ἐπὶ Δ]υ[σι]στράτου ἄρχοντος ἐπὶ [τῆς . . .] [. . .ίδ]ος δεκάτης πρυτανε[ί]ας.“ Lysistratus archontis magistratum iniit Olymp. 102, 4. Cum autem decima prytania, id est extrema, senatui praesideret ab ultimis diebus Thargelionis usque ad exeuntem Scirophorionem, inde sequitur, ut senatus consultum in prima aestate anni 368 ponendum sit. Quod ad decretum ipsum attinet, Dionysio maiori et filiis eius data est civitas Attica, cuius rei mentionem facit Philippus in epistola, quam hic ad Athenienses, ut, quae Demosthenes ei obiecit refelleret, scripsisse dicitur, ubi § 12 legimus: Ὑμεῖς ἔδοτε πολιτείαν Εὐαγόρᾳ τῷ Κύπρῳ καὶ Διονυσίῳ τῷ Συρακοσίῳ καὶ τοῖς ἐκγόνοις τοῖς ἐκείνων. Haec res scripta erat vs 31 sqq. Missi enim erant a Dionysio legati litteras eius afferentes et mandata de pace. Qua de re senatus decernit. Ac primum, ut de ea re socii audiantur, constituit. Hi deliberanto et decretum (τὸ τῶν συμμάχων δόγμα) tradunto populo. Praecipit deinceps senatus, ut conitiis proximis legati ad populum adducantur, proedri praesentibus sociis de illorum mandatis referant proponantque senatus sententiam de Dionysio eiusque filiis laudandis et ornandis. Efferuntur laudibus Dionysius et filii eius, Hermocritus et Dionysius minor, patris successor, ob eam causam, quod auxilientur „[τῆι βασ]ιλέως εἰ[ρή]νῃ, ἣν ἐ[π]οιήσα[ντο Ἀθηναῖοι] καὶ Λακεδαιμόνιο[ι] κ[α]ὶ [οἱ ἄλλοι Ἕλληνες].“ „Βασιλέως“ de Persarum rege debet intellegi, qui vulgo „βασιλεύς“ sine articulo nominatur. Hic pacem inter Lacedaemonios et Athenienses ceterosque Graecos Olymp. 102, 1, ut exposui, confirmare studebat.[1]) Illa pax renovata est secundum leges Antalcidae pacis, quae a rege Persarum, ut auctore, nomen traxit „τὴν βασιλέως εἰρήνην.“ Quod ad illud Dionysii auxilium attinet, ille, ut supra docui, Olymp. 102, 4 Lacedaemoniis illo tempore cum Atheniensibus

1) Xenoph. Hell. VI, 3. Diodor. XV, 50: „Ἀρταξέρξης ὁ βασιλεὺς ὁρῶν πάλιν ταραττομένην τὴν Ἑλλάδα, πρέσβεις ἀπέστειλε παρακαλῶν συλλύσασθαι τοὺς ἐμφυλίους πολέμους καὶ συνθέσθαι κοινὴν εἰρήνην κατὰ τὰς ὁμολογίας, ἃς πρότερον ἦσαν πεποιημένοι.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

coniunctis in Thebanos tulerat auxilium. Athenienses, cum causae Lacedaemoniorum faverent, qui Dionysio socio atque amico utebantur, et ipsi eius, quocum antea habebant simultates, facti sunt socii in Corinthi defensione. Diodorus XV, 70 tradit auxiliares Syracusanos propterea, quod fortissimi exstitissent optimeque de Lacedaemoniorum salute meriti essent, ab iis dignos habitos esse, qui praemiis afficerentur. Quod vs 26 sqq, ut coronae iam antea Dionysio et filiis decretae eis mittantur, constituitur, inde apparet decretum de corona Dionysio eiusque filiis tribuenda iam prius esse factum, idque, ut videtur, postquam copiae tyranni una cum Lacedaemoniis et Atheniensibus congressae sunt cum Thebanis. Neque modo ea re paci regis auxiliatus est tyrannus, quod Lacedaemonios et Athenienses iunctos in hostes adiuvit, sed etiam eo, quod Graecorum discidiis componendis operam navavit. Nam si rationem habeas temporis, quo hoc decretum factum est, si memineris eo ipso tempore sub finem Olymp. 102, 4 Delphis inter legatos Graecorum et Persarum de pace actum esse, id quod Xenoph. Hell. VII, 1, 27 et Diodorus XV, 70 tradunt, qui, cum brevius de his rebus dicant, Dionysium ne memorant quidem, dubitari non potest, quin tyrannus miserit Athenas litteras de pace inter civitates Graecas restituenda, quin una cum Artaxerxe Graecos commovere studuerit, ut Delphos concordiae reconciliandae causa convenirent. Quin etiam Dionysium pacis iam anno 371 conficiendae partes habuisse libet coniicere. Itaque Athenienses prioribus inimicitiis abolitis, Dionysium, ut eum promptiorem in sese redderent, laudibus extulerunt maximoque honore ornaverunt, quod in rem publicam se benevole gessisset Graecis pacandis societateque adiuvanda, quae ab Atheniensibus cum Lacedaemoniis inita erat. Quod ad aedificationem templi attinet, (*οἰκοδομίαν τοῦ νεώ*) mos erat, ut in initio omnium foederum inter Graecos ictorum,[1]) ut ea, quae communi templo Delphico, Apollinis sacro, deberentur, iureiurando confirmarentur et sancirentur. At Athenienses, quorum permagni intererat Graecos omnes praecipue Thebanos pace comprehendi, quorum potentia, ne sibi, sociis Lacedaemoniorum, fieret periculosa, timerent, spes pacis redintegrandae fefellit. Nam Thebani, cum Graeci Delphos pacis renovandae causa convenissent, ad conditiones pacis non accesserunt. Ineunte Olympiade 103, 1 Dionysius iterum Lacedaemoniis copias auxilio misit. Cum his et Lacedaemoniis Archidamus Caryas urbem expugnat et Parrhasiorum agros depopulatur. Cissidam, ducem Siculorum, cum iter pararet, Messenii reditu intercludere conantur. Eodem tempore in Archidamum Argivi et Arcades faciunt impetum. Cissidas autem et Archidamus exercitibus iunctis hostes aggressi egregiam ab iis victoriam reportant. Nuntio victoriae Spartam allato Lacedaemonii gaudio lacrimasse dicuntur. Quae victoria, qua Lacedaemonii clade Leuctrica afflicti eriguntur, in virtute auxiliarium non minus quam Lacedaemoniorum erat posita.[2])

Anno 1837 plebiscitum Atticum in marmore Pentelico insculptum in lucem prolatum est. Tabula inventa est in Athenarum arce. Illa a quattuor partibus mutila est. Decretum truncatum Kirchhoffius Philolog. XII, p. 571 — 578 magno acumine restituit hac ratione:

1. [*Ἐπὶ Ναυσιγέν*]*ους ἄρχ*[*οντος ἐπὶ τῆς* . . . . . .]
[*ίδος* . . . . . *π*]*ρυταν*[*είας, ᾗ* . . . . . .]
[. . . . . *ἐγραμ*]*μάτευε* [*τριακοστῇ καὶ* . . . . . .]
[*τῆς πρυ*]*τανεία*[*ς ἔδοξεν τῇ βουλῇ κ*]-

1) Comparentur societates, quae apud Thucydidem IV, 118 et V, 18 ex annis 423 et 421 exstant.
2) Xenoph. Hell. VII, 1, 28 — 32. Diodor. XV, 72.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

5. [αὶ τῷ δήμῳ Κ]άλιππο[ς ἐπεστάτει·]
[. . . . . .εἶπεν· {τυχῇ ἀγαθῇ τῇ Ἀθην]-
[αίων δε]δ[όχθ]αι τῷ δήμ[ῳ· ἐπαινέσαι μὲν Δ]-
[ιονύσι]ο[ν, τ]ὸν Σικελ[ί]ας βασιλέα, ὅτι ἐστὶ]-
[ν ἀνὴρ] ἀ[γ]αθὸς περὶ τ[ὸ]ν [δῆμον τὸν Ἀθηναίω]-
10. [ν καὶ τ[οὺς συμμάχους· εἶ[ναι δὲ συμμάχους αὐ]-
τὸν κα]ὶ τοὺς ἐκγόνους [αὐτοῦ ἔν τε τῷ νῦν]
[καὶ εἰ]ς [τ]ὸν ἀεὶ χρόνον [κατὰ τάδε· ἐάν τις]
[ἴῃ ἐπὶ τ]ὴν χώραν τὴν Ἀ[θηναίων ἐπὶ πολέμ]-
[ῳ ἢ κατ]ὰ γῆν ἢ κα[τ]ὰ θάλ[ατταν, βοηθεῖν Διο]-
15. [νύσιον] καὶ τοὺς ἐκγόν[ους αὐτοῦ καθ' ὅτι ἂν]
[ἐπαγγέλ]λωσιν Ἀθηναῖ[οι καὶ κατὰ γῆν καὶ]
[κατὰ θά]λατταν παντ]ὶ σθένει κατὰ τὸ δυνα]-
[τὸν καὶ] ἐάν τις ἴῃ ἐ[πὶ Διονύσιον ἢ τοὺς ἐ]-
[κγόνου]ς αὐτοῦ ἢ ὅσων ἄ[ρχει Διονύσιος ἐπὶ]
20. [πολέμῳ] ἢ κατὰ γῆν ἢ κα[τὰ θάλατταν βοηθε]-
[ῖν Ἀθην]α[ί]ους καθ' ὅτι ἄ[ν ἐπαγγέλληται κα]-
[ὶ κατὰ γ]ῆν καὶ κατὰ θάλα[τταν παντὶ σθένε]-
[ι κατὰ τ]ὸ [δυ]νατόν. ὅπλα[δὲ μὴ ἐξεῖναι ἐπι]-
[φέρειν] Δ[ιο]νυσίῳ μηδ[ὲ τοῖς ἐκγόνοις αὐ]-
25. [τοῦ ἐπὶ] τ[ὴ]ν χώραν τὴν Ἀ[θηναίων ἐπὶ πημον]-
[ῇ μήτε] κ[ατ]ὰ γῆν μήτε κ[ατὰ θάλατταν μηδὲ]
[Ἀθηναί]ο[ις] ἐξεῖναι ὅπ[λα ἐπιφέρειν ἐπὶ]
[Διονύσ]ι[ο]ν μηδὲ τοὺς ἐκ[γόνους αὐτοῦ μηδὲ]
[ὅσων ἄρ]χ[ε]ι Διονύσιος [ἐπὶ πημονῇ μήτε κ]-
30. [ατὰ γῆν] μ[ή]τε κατὰ θάλα[τταν. λαμβάνειν δὲ]
[τὸν ὅρκ]ο[ν] περὶ τῆς συμ[μαχίας τοὺς διαπεμ]-
[φθέντας] παρὰ Διονυσί[ου. ὀμνύναι δὲ τὸν ὅ]-
[ρκον τὴν] βουλὴν καὶ το[ὺς στρατηγοὺς καὶ το]-
[ὺς ταξιάρ]χους καὶ το[ὺς φυλάρχους· ὁμοίως]-
35. [καὶ Διον]ύσιον καὶ το[ὺς ἐκγόνους αὐτοῦ τόν τ]-
[ε δῆμον τ]ῶν Συρακοσί[ων καὶ τοὺς τῶν πόλε]-
[ων φρουρ]άρχους· ὀμνύ[ναι δὲ τὸν ὅρκον κατ']
[ἔτος ἑκα]τέρους. τούί[των δὲ τοὺς ἐπὶ Δυσνικ]-
[ήτου ἄρχο]ντος πρέσβ[εις διακομίζειν τὴν]
40. [ὁμολογί]αν. ἀναγράψ[αι δὲ τόδε τὸ ψήφισμα]
[τὸν γραμ]ματέα τῆς [βουλῆς ἐν στήλῃ λιθί]-
[νῃ καὶ στῆσαι ἐν ἀκροπόλει . . . . .

Ex fragmentis ipsis non intellegitur, utrum ad maiorem an minorem Dionysium hoc decretum referendum sit. Kirchhoffius de utroque quidem cogitari posse concedit, sed illud spectare ad maiorem ei probabilius esse videtur, quod veri simile sit Athenienses cum Lacedaemoniis reconciliatos non tamdiu cunctatos esse societatem cum tyranno inire, ut is, si Thebani

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in Atticam invasissent, sibi veniret auxilio. Sin autem quis decretum Dionysio minori iam regnanti tribuere velit, eum ait necesse esse existimare hoc ante pugnam apud Mantineam commissam esse factum, quippe cum post eam Graeci fecissent pacem praeter Lacedaemonios neque Atheniensibus fuisset causa, cur cum tyranno finium defendendorum causa foedus icerent, et Dionysius minor, ut eius pater, Lacedaemoniis amicus officia in eos vilaturus fuisset.[1]) Prior sententia Kirchhoffii monumentum spectare ad Dionysium maiorem aliis argumentis e decreti forma repetitis firmari potest. Hoc incipit a laudando Dionysio, quod se benevolum erga Athenienses praebuerit. Si decretum ad Dionysium minorem spectaret, sine dubio, quae beneficia iam pater eius in civitatem contulisset, eorum mentio facta esset, certe Dionysius, alter eiusdem nominis Siciliae dominator, nomine patris addendo a maiore esset distinctus. Adde, quod plebiscitum ad *Διονύσιον Σικελίας ἄρχοντα* (pro „*βασιλέα*," quem titulum profert Kirchhoffius, Koehlerum secutus scribi malim „*ἄρχοντα*") spectat, qui titulus duobus prioribus decretis Dionysio maiori honoris causa inditus erat. Sed quonam anno foedus inter Dionysium maiorem et Athenienses ictum sit, quaestio est altera. De nomine archontis nihil reliquum est nisi ultima syllaba *ΟΣ*. Exploratum autem habemus convenire huic aetati scripturam et maxime inconstantiam in dipthongo *ου* modo solo *Ο* modo pleno *ΟΥ* expressa. Cum autem Olympiadis 102, 3 Dysnicetus, Olympiadis 102, 4 Lysistratus archon eponymus fuerit, cum utrumque nomen secundum alteram, quae vocatur, declinationem flexum in genetivo exeat in *ου*, solum in Nausigenem, archontem Olymp. 103, 1, quod vocabulum tertiam declinationem sequitur, cadit *ΟΣ*. Dubium igitur non esse videtur, quin societas Olymp. 103, 1 facta sit. Ad tempus accuratius determinandum maximi esset momenti, si, quota prytania senatui praesideret, esset servatum aut posset restitui. Nunc autem incertum est, utrum in exeunti anno 368 an in ineunti anno 367 decretum ponendum sit. Tantum illud constare videtur plebiscitum factum esse ante Lenaea Olymp. 103, 1. Nam quod Lenaeis Dionysius propter fabulam, quam docuit, palmam tulit, inde iure concludi potest societatem initam huic eximio honori Dionysio tributo antecessisse. Foedus autem inter Dionysium et Athenienses eis conditionibus ictum est, ut tyrannus eiusque filii non modo praesenti tempore, (*ἔν τε τῷ νῦν*) sed etiam ad sempiternum (*εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον*) essent Atheniensium socii, ut alteri alteros terra marique omnibus opibus adiuvarent, si ab hoste in discrimen vocati essent, neque permissum esset, ut alteri alteros bello persequerentur. Non modo Atheniensibus periculum a Thebanis instabat, sed etiam tyranno auxilium illorum contra Poenos iucundum et gratum fuisse videbatur. Etenim eodem tempore bellum Carthaginiensium exarsit.[2]) Rogator idem homo Koehlero fuisse videtur, qui de civitate Dionysio danda ad populum tulerat. Quod in exordio decreti vs 7 — 10 causam societatis inprimis in beneficiis a tyranno civitati allatis Athenienses ponunt, illud ostentationi et ambitioni eorum tribuendum est, quorum societas cum tyranno facta eo magis excusanda esse videbatur, quod ea a disciplina civitatis liberae aliena erat. In restituendis vs 30 sqq. a Kirchhoffio discrepat Koehlerus, qui C. I. A. II. n. 52 textum hoc modo refici vult:

30. . . . . [*λαβεῖν δὲ τὸν*]
[*ὅρκον τ*]*ὸ*[*ν*] *περὶ τῆς συμ*[*μαχίας τοὺς πρέσβ*]-

1) Dionysius minor Lacedaemoniis auxilio misit duodecim triremes. (a. 366 a. Ch.) Xenoph. Hell. VII, 4, 12. 2) Diodor. XV,73.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

[εις τοὺ]ς παρὰ Διονυσί[ου ἥκοντας ὀμόσαι]
[δὲ τήν τε] βουλὴν καὶ το]ὺς στρατηγοὺς καὶ τ]-
[οὺς . . . . ά]ρχους καὶ τοὺ[ς ταξιάρχους· ὀμόσα]-
35. [ι δὲ Διο]νύσιον καὶ τοὺ[ς υἱεῖς αὐτοῦ καὶ τ]-
[. . . . . τ]ῶν Συρακοσί[ων καὶ τ . . . . .]
[. . . . . .]ράρχους· ὀμνύ[ναι δὲ κατ' ἔτος ἕκα]-
[στον ἑκα]τέρους τοὺ[ς ὅρκους· ἀπολαβεῖν δὲ]
[Ἀθηναί]ων τοὺς πρέσβ[εις τοὺς πεμφθέντας ἐ]-
[ς Σικελίαν.

Cognoscitur Koehlerum magis forma quam verbis ipsis a Kirchhoffio dissentire. In promptu est a vs 30 constitutum fuisse, qui utriusque partis iusiurandum darent et acciperent, ut in foedus iurarent Atheniensium senatus et magistratus militares, a quibus societates publicae sanciri solebant,[1]) Syracusanorum Dionysius eiusque filii et magistratus alii, qui, quales fuerint, Koehlerus e fragmentis erui posse negat. Neque igitur is Kirchhoffio assentitur, qui etiam Syracusanorum civitatem iureiurando comprehensam esse coniicit, cuius rei causam hic ex ea re repetit, quod Athenienses illud spectaverint, ne, si forte Dionysius et filii eius dominatione privati essent, Syracusani exsolverentur societate. Haec autem, ut quotannis ab utrisque iureiurando confirmetur, constituitur. A vs 38 — 40 sequor coniecturam Kirchhoffii, qui profectus a formula: „*Τοὺς ἐπὶ τοῦ δεῖνος ἄρχοντος πρέσβεις*“ — reliquias vs 38 ***ΤΟΥ.*** vs 39 ***ΝΤΟΣΓΡΕΣΒ.*** vs 40 ***ΑΝ*** ita redintegrat: „*Τού[των δὲ τοὺς ἐπὶ Δυσνικήτου ἄρχο]ντος πρέσβ[εις] [διακομίζειν τὴν ὁμολογί]αν.*“ Dysnicetus erat, ut supra docui, archon eponymus Olymp. 102,3 (370/369 a. Ch.) Veri simile est Atheniensium legatos iam ex Olympiade 102,3 Syracusis versatos esse, ut de foedere cum tyranno agerent, quibus, postquam Olymp. 103, 1 illud est ratum factum, mandatum est, ut Dionysium maiorem certiorem facerent populum sanxisse societatem. Legationis Olymp. 102, 3 in Siciliam missae mentio fit apud Demosthenem in oratione contra Nicostratum: „*Συμβαίνει δή μοι τριηραρχία περὶ Πελοπόννησον, ἐκεῖθεν δ' εἰς Σικελίαν ἔδει τοὺς πρέσβεις ἄγειν, οὓς ὁ δῆμος ἐχειροτόνησεν.*“ Quanti Atheniensium interfuerit Dionysium sibi esse amicum, inde apparet, quod ei fabulam, quae inscripta erat „*Ἕκτορος λύτρα*“[2]), Lenaeis Olymp. 103, 1 (ineunte anno 367) docenti detulerunt palmam. Judices vero certaminis tragoedorum non praestantia fabulae Dionysii maioris commoti esse videntur, ut ei primum tribuerent praemium, sed praecipue illud egisse, ut apud socium recentem cives quam plurimum auctoritate valerent, haud ignorantes, quanta laetitia Dionysius hac victoria afficeretur. Qui nuntio victoriae allato diis gratias egit epulasque magnifico cum apparatu instituit[3]). Sub finem Olympiadis 103, 1 Dionysius maior diem supremum obiit.

---

1) Societates publicas magistratibus militaribus sancitas esse satis apparet e loco Thucydidis V, 47 — *ἡ βουλὴ καὶ αἱ ἔνδημοι ἀρχαί* — et ex inscriptionibus C. I. A. II, 12, 19, 60. 2) cf. Naukium Tragicorum Graecorum fragmenta p. 616. 3) Diodor. XV, 74.

Emendanda.

Legendum est pag. 3 vs 24 antea pro „autea.“
— 7 — 25 Scholiastes — „Scholiasta.“
— 8 — 12 Diodor. XVI,57—„Diodor. XIV,57.“
pag. 10 vs 5 ῷ pro „ῷ.“
— 10 — 28 comitiis — „conitiis.“

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf